

55/749 ✓
C
K
N
1222
L.S.
H54

VE TVS PICTVRA
NYMPHAEVM REFERENS
COMMENTARIOLO EXPLICATA
A
LVCA HOLSTENIO


ACCEDVNTE

alia quædam Eiusdem Autoris.



ROMAE, TYPIS BARBERINIS. M. DG. LXXVI.

Excudebat Michael Hercules. Superiorum permisso.



Typus veteris picturæ Nymphaeum referentis quæ sum effoderetur terra pro construcione ædium BARBERINARVM
ad Montem Quirinalem reperta, in eisdem ædibus inter cætera antiquitatis egregia
monumenta osservantur. Qui typus priori cælatura deperdita h[ab]et iterum
in gratiam Illustrissimi D[omi]ni Nicolai Heinsij D[omi]ni F[abri] restituunt.

VETVS PICTVRA NYMPHAEVM³

referens commentariolo explicata .



ETEREM Picturam , & designationis , & colorum vdo teatrorio inductorum artificio visendam , exhibemus . Ea in hortis BARBERINIS , cum terra circa nouas ædes altius egereretur , in antiquæ sepultæque cellulæ pariete se aperuit . Substructionum , in quibus delituit , moles , ac dignitas florentis Imperij ætatem indicabant , & melioris æui genium ipsa pictura primo inspectu oculis eruditis ingerit . Philostratum ελην , siue paludes suas amænissimis eloquentiaæ coloribus depingentem non aliud exemplar spectasse dices , nisi anates , anseresque natantes , & vecti frænatis cygnis Cupidines hic abessent . Cætera omnia conueniunt . Solum irriguum aquis , & amicæ locis palustribus herbæ , arundo , iuncus , myrica ; mons de proximo imminens , & in eo variæ pro diuerso soli ingenio arbores : tum vberes ex eo delabentes fontium scaturigines , quorum confluge campus in paludem stagnat , nec spatio enormem , nec limo turbidam , sed riuo limpidissimo profluentem . Capræ etiam subsultantes , & petulcæ , ovesque tardigradæ roscidum circa solum pascunt : vt vna fidelia vtramque tabulam pictam existimes . Sed nostra hæc , simulatque in lucem protracta , & publice proposita fuit , mirifice exercuit curiositatem eorum , qui veteribus huiusmodi monumentis peruestigandis explicandisque incumbunt . In his familiam tunc ducebat Alexander Donatus , qui post plurimos ciudem generis , & argumenti Scriptores , veterem recentemque Romanam commentario per quam crudito illustravit . Hic persuasiſſimum sibi habebat , eo loci , vbi ædes BARBERINÆ non ita pridem surrexerunt , Capitolium ve tus à Numa Rege olim conditum fuisse , siue ædem Ioui , Mincruæ , lunoni , & prope additam eis Regis domum , cuius locus adhuc Plutarchi tempore ostendebatur . His cum alia suffragari , tū aliquid argumenti capi putabat ab effossa pictura . Nam Iuppiter , inquit αἰχοχός , si Poetæ audiuntur , id est , à capra nutritus , suam illam Amalhæam vnicè dilexit , cœloque donatam ortu occasuque imbribus fluentem fecit . Hæc verò pictæ ad Iouis ædem paſcentes otiantesque , vel ad aquationē descendentes capræ , labentibus circum , & stagnantibus aquis , significare poterunt . Numa autem nonne delectatus Auentino fonte , multa ferebatur ibi ab Egeria didicisse ? Hæc vir doctus ad picturæ huius explicationem tunc adſerebat , quæ altius repetita , & accersita longius videntur . Quis enim Vrbis , facie toties mutata , casca ista monumenta , aut verius ænigmata , vsque ad excidium eius perdurasse credat ? Sed nobis quoque quamvis Telmessenses non sumus , post Aristandrum diuinare liceat : quandoquidem , vt vetus Græciæ verbum habet , qui vera coniicit ille vates optimus . Etenim n̄iſi me animus oculique egregiè fallunt , Nymphæum , siue sacrum aquarum fontiumque numinibus locum in hac Tabula mihi perspicere videor . Omnia enim Nymphis conueniunt : antrum natuſis tophis lapidibusque lacunatum , & arcuata in camerae formiam rupes ; tum scaturientes passim vberrimis fontibus , & exceptæ diffusæque castellis aquæ , ad hæc ædicula ostio antri apposita , & eminentes in eius fastigio crateres , paſcentes quoque circa eandem capellæ . Accedunt , & varia ἐροδίων , siue Compitalium Deorum simulacra , quæ loci religionem confirmant . Ad singula corum , quæ dixi stabilienda , argumenta Veterumque testimonia conquiri necessum non est . Quis enim vel leuiter Poetarum sacris initiatuſ antra Nymphis dedicata dubitet ? præfertim qui Porphyrij Philosophi luculentam Dissertationem legerit , qua Homericum illud Nymphařum antrum , obscuræ , & reconditissimæ sapientiæ plenum , illustrauit . Vndè ab Orpheo inter alia Nymphæ ἀρροχαρεῖς πτλανυξι κεχαρμέναι , hoc est , Antricole , & specuum cines indigitantur . Nec temerè quæuis antra colunt , sed fontium , & aquarum scatibus irrigua : hinc idem Orpheus : ὑγροτάροις γαῖς υπὸ κεύθεσσι οἴκι ἔχοντι . Quæ liquidas habitant sub terre anfractibus ædes , & Virgilius , Lybicū illud scopulis pendentibus antrum , quod intus aquæ dulces scaturirent , Nymphařum domum appellat : eam enim ob causam Hydriades , & Ephydriades vocatæ . Pegæas quoque , & Naiadas à scaturiginibus fontibusque , quibus præſunt , nomen adeptas testatur Porphyrius , neque aliunde Crenææ appellatae ; sed nec Oreadas , & Napæas hoc loco excluſerim : ὥτε καὶ αὐτίτιτη πέτρης σελγον κάρηνα , Quæ petre per celsa abruptaque resqua vagantur , vt Homerus hymno in Panem cecinit . Montium enim prærupta , & cauernosa , quæ Græcis sunt νύμφαι , Oreades , & Napæas frequentare credebantur . AEdiculas autem Nymphis ad aquarū

aquarum capita fontesque positas, vel ynum hoc nos docet Epigramma Vticense apud Gruterum XCI. 9.


*Sextus Pompeius Primus cognomine Pardus ;
Quoios & hoc abauis contigit esse solum ;
Ædiculam hanc Nymphis posuit : quia saepius usus
Hoc sum fonte senex tam bene, quam iuuenis.*

Talem hic expressam quis non videt? Nam tholus in pyramidem acuminatus, summoque fastigio in florem sese aperiens, facillum hoc siue Deorum ædem esse, ex Vitruuij doctrina lib. 4. cap. 7. satis superque ostendit. Crateres autem zophori angularibus acroterijs impositi Nymphis eam indubitate vindicant. Symbola enim Nymphaeum Hydriadum esse Crateres lapideos Porphyrius disertè affirmat: quibus, & Poetarum princeps Ithacense antrum adornauit. Arcanos autem veteris theologiae sensus, fontium, & craterum symbolis inuolutos, si quis altius rimari velit, præter Porphyrium, Procli Theologiam Platonicam consulat, lib. v. cap. xxxi. & sequen. & scholia in Cratylum cap. cxlij. & cxliij. quæ in BARBERINA Bibliotheca typis nondum vulgata seruantur. Cæterum nec Apes à Nymphaeum æde arcendas. Pictor eruditus censuit, Homerum hac quoque parte religiose secutus. Cum enim Nymphaeum sacra non aliter constare sciret, ædis vestibulo Apiculam appinxit, velut Nymphaeum Flaminicam, siue ædituam, ad templi forces obseruantem. Quomodo enim Nymphæ Apiculas auersentur, quarum nomen vltro ambiunt; eoque, si Porphyrio credimus, peculiariter appellari gaudent? idque vel puritatis causa, vel ob communem vtrisque dulcedinem. Seu verius, Mnaseæ Patarenis sententia, vt apud Pindari scholiasten legimus, Melissa Nympha repertum abs se mellis usum tradiderit mortalibus, eoque à cultu viuque inhumano ad humanitatem eosdem traduxerit. Sane Apum, quæ puritatem, quæ industriam ita Deorum Sacris conuenire existimauit Antiquitas, vt non vnam dumtaxat Flaminicam Cereris, sed & alias quorumcumque Deorum Dearumque Sacerdotes, Melissas appellari; quod post Porphyrium, & Pindari scholiasten veterum testimonij comprobare superfluum esset.

Idem nec à nostræ religionis sensu cultuque abhorrere censuit quisquis ille veterum B. Cæciliæ sollicitum pietatis studium, & ingeniosam industriam significaturus, eam quasi Apem argumentosam, Deo deseruire dixit. Sed hæc nihil ad Bacchum, neque ad Nymphas. Vereor enim ne quis mihi illud Martialis occinat: *Iam dic Posthume de tribus Capellis.* Quid illa ad Nymphaeum pertineant, hoc Index sibi postulat probari. Ego verò eodem iure, quo Apes, ad Nymphaeum adyta eas admittendas censeo. Nam Melissam, & Amaltheam forores germanas fuisse Lactanius ex Didymo Pindari Commentatore prodidit, quæ Iouem puerum caprino lacte, ac melle nutritae. Orpheo quoque Nymphæ αἰπλαγχή, & νόιμαι, siue caprotinæ dicuntur, quia pastoribus, & capellis gaudent; Vndè & Homerius Fauno capripedi Nymphas comites dedit, eo quem supra laudaui hymno, nec aliam ob causam capras, hædosque Nymphis, & fontibus veteres immolabant. Ad hæc si tcsqua aspera, & saxa confragosa species, quid aptius Pictor illis appingere potuit, quam capras ὄρεσκώς, ὄρεονός, & ὄρεάς Homero alijsque propterea dictas, quia arduas præcipitesque rupes pendulo vestigio perreptare amant. Cætera ornamenta ædiculæ, siue anathemata, haud facile, quis dispicerit, ita euandi fugientesque colores visum elidunt, pastoria tamen, aut piscatoria fuisse arma, indicant retia, & alia eius generis, vt videtur, qualium dedicationes in Græcorum Epigrammatum collectione leguntur. Numquid verò, & hic sub reticulatim implexis, peplisque iuxta ædiculam suspensis, Nymphaeum stamina, ac telæ, & tota illa mystica Dearum ιστογύα, siue textura, latet; quam Ithacæ in antro describit Homerius; & Porphyrius in eiusdem declaratione luculenter explicat? Sanè quam frugi, & pudicæ matrisfamilias laudem præcipuum duxerunt Romani, vt optima esset lanifica, & colum fusumque amat, eam in suis Deabus vetustissima Græcorum theologia agnouit. Vndè non solum Nymphæ Ithacentes in staminibus telas purpureas detexunt, sed ipsam quoque Mineruam, ἀθανάτων οὐφερεσ-άτην ἀπασέων texentem induxit Orpheus, cuius hac de re versus nobis seruauit, & egregia interpretatione illustravit Proclus cap. 52. in Cratylum. Sed quid clarius, quid illustrius instituto cum Arachne texendi certamine, quam sibi lanifica non cedere laudibus artis audierat Pallas, vt est apud Nasonem transfigur. lib. vi. Eiusmodi verò ædiculas incustoditas olim ipsa loci religio tuas præstabat, vt ostendit L. vi. sacrileg. D. ad leg. Iul. pecul. quæ depeculantibus pœnam statuit.

Hactenus Nympharum Sacra irriguo sub antro perlustrauimus. Si collem antro imminentem spectemus, & adiacentem colli planitiem, hic quoque omnia, tam presentibus plena sunt Numinibus, vt facilius possis Deum, quam hominem inuenire. Alia enim parte Hermas, siue Faunos videre est Ithyphallos; nam teste Herodoto etiam Mercurij statuas cum rigido, & porrecto vetro fingebat Veteres, eundemque in biuijs, & compitis ponebant, quod vijs praesesse credetur, vnde Enodios, siue viarius, vulgo dictus. Quin etiam ante aedes ad ianuam, & portarum cardines colebatur, vt furorum artifex fures ab ædibus arceret; indeque strophæum dixere; cuius numen idem creditum cum Apolline Agyeo, & Thyræo à vicis portisque sic dicto, perinde vt Romani suos illos ostiorum Deos, forcum à foribus, & limentinum à limine, & ipsum Ianum à ianua vocarunt, teste Tertulliano; Verum enim verò Hermæ isti viarij saxo, aut stipite quadrato sine brachijs, manibusque, vt plurimum fingeabantur: hoc autem quod in rupis supercilio stat signum, non brachijs tantum, sed cornibus quoque instratum videtur, & cauda; nisi ea potius incurua falx, qua Siluanum, Priapum, & reliquum hoc numinum genus armabat antiquitas. Parte alia ad montis crepidinem Dearum triga uno facello dedicata appetit; Hanc triformem illam tergeminamque Hecaten, *tria virginis ora Diana*; affirmare haud dubitauerim. Diana enim, vt ait Varro, ab eo dicta est Triuia, quod in Triuio ponitur, vnde & *τριοδος εμόντις*, hoc est triuiorum præses dicitur Phurnuto: triformis autem teste Seruio, quia trium potestatum numen est, ipsa est enī Luna, Diana, Proserpina. sed nos interim Lucinam, & Proserpinam, alteram Cœlo, alteram Erebo potentem, mittamus, aut quicumque alij Dij Deæue Synthroni, vel Synnai hoc loco intelligendi; sanè Diana, vt auctor est Festus, viarum putabatur Dea, & quod ad earundem diuertia itidem, ac Mercurius, poneretur, ipsa quoque Enodis cognomen habuit. Cæterum hæc de vicinis Deorum signis, & facellis ad Nymphæi religionem confirmandam attuli: quod veteres ea plerumque coniunxisse, vel uno Strabonis testimonio compertum habeam; Ille enim lib. 8. Alphei fluminis quasi in Arethusæ amplexum properantis, ostia, & imminentem è proximo Diana Alpheroniæ lucum commemorans, totum istud solum, propter aquarum copiam, Diana, Veneris, & Nympharum lucis, facellis, donarijsque refertum scribit; ijsque crebras Mercurij in vijs statuas, & Neptuni in littore ediculas adiungit.

Atque hæc nostra est de veteri Pictura, quæ BARBERINIS ædibus non parum ornamenti adfert, sententia; vbi vt ipſi ab aliorum opinione discedimus, ita quominus alij à nostra abeant, non impeditus. Per nos cuique in re obscura ingenij experiundi, & sententię ferendę ius potestasque esto. neque enim tantum nostrę tribuimus, quantum suę olim Comicorum arbiter Volcatius; vt contra quis sentiat, nihil sentiat.



DE PILA STAFFLARI.



Væstio est de propria significacione vocis latino barbaræ Pilæ Stafflaris ; quæ in veteri instrumento Basilicæ Vaticanæ legitur : cuius vigore Capitulum eiusdem Basilicæ iam olim Canonem annum percepit , eumque aliquandiū intermissum atque interuersum nunc recuperare contendit , ex directo dominio soli cuiusdam ad ripam vteriorem Tyberis , siue in Regione Transtyberina , cui inedificata fuit massa quædam siue moles structilis ex cœmentis , & lapidibus , forma quadrata , solidi firmique operis ; ita supra ripæ superioris crepidinem edita , ut ex ea catena serreæ , atque rudentes , molæ subiecto in amne fluitantis retinacula , religari possint ; ne illa vndarum impetu abripiatur .

Sed quia moles illa siue massa Turretti nomen , ob quadratam , & editorem formam pridem obtinuit , atque nunc etiam vulgo retinet , dubitatur utrum huic Turretto nomen illud antiquum Pilæ Stafflaris ita conueniat , vt de utriusque identitate liquido pronunciari possit .

Respondetur , in re perspicua nullum esse dubitandi locum , quandoquidem massa illa structilis ad molendini retinaculum exædificata , nullo magis proprio vocabulo , quam Pilæ nomine appellari possit .

Probatur hoc omnium veterum , & recentium linguae Latinæ scriptorum usu , & auctoritate : quorum loca nonnulla subiungimus .

Et quia vocabulum hoc propriè architectonicum est , primus nobis testis erit Vitruvius , omnium architectorum princeps , & magister , qui ea voce utitur lib. v. cap. 1. ubi de Basilicarum structura agit . & lib. eodem cap. 12. ubi de portubus extruendis loquitur . Pilas Philander in notis ad lib. 3. cap. 3. Pilastris explicat . Et sic Bernardinus Baldus in eruditissimo libro de verborum Vetruianorum significatione v. Pila , ex Varrone , Festo , & Plinio . Tum præcipue ex illo Virgilij loco Aeneid. 9.

*Qualis in Euboico Balearum liture quondam
Saxea Pila cadit .*

De hisce Pilis in Portu Puteolano extructis , quarum nonnullæ etiam nunc extant , agit I. Cæsar Capaccius Neapolitanæ Historiæ lib. 2. cap. 24. pag. 719. & Petrus Bertius libro de aggeribus , & pontibus ad mare extructis , cap. 10. quo loco etiam docet ex Senecæ epist. 77. Pilis illis molem superinstructam fuisse , & porticum deambulatoriam , quales etiam nunc in Centumcelensi , & Neapolitano Portu , atque alibi extant . Utique etiam veterem inscriptionem affert Traiani Imperatoris , qui opus Pilarum vi maris conlapsum restituerat . Matthias Martinius in Lexico etymologico : Pila est structura erecta ad aliquid firmandum , siue super posita sustineat , siue opposita contineat ne loco cedant , addit deinde : Itali ea nuncupant Pilos , & Pilastris ; maximos autem Pilones , ut sunt illæ quibus maritimæ moles , & Pontium fornices sustinentur .

Quod de pontium Pilis scribit Martinius , confirmatur verbis Liuij lib. histor. 39. M. Fulvius locauit Porticum , & Pilas Pontis in Tyberi : quibus Pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus , & L. Mummius Censores locauerunt imponendos . Tum etiam loco Q. Curtij lib. v. de Hortis pensilibus Babylonicis , qui inter septem Orbis miracula numerabantur . Saxo pilæ , quæ totum opus sustinent , instructæ sunt : super Pilas lapide quadrato solum stratum est .

Vnde apparet non solum in Portibus maris , & fluminum Pontibus Pilas extructas fuisse , sed etiam in quoquis alio solo . Nam & Porticus , quæ Forum Romanum circumquaque cingebant , Pilis structilibus suffulciebantur : ad quas varie erant institutorum , & cauponum tabernæ , præfertim librariorum : quarum non semel meminerunt poetæ ; ut Catullus epigram. 38.

*Salax taberna , vosque contubernales ,
A pileatis nona fratribus pila .*

Ad quem locum Antonius Parthenius ita notat : Pila officina ad Pilam nonam structa . Nam Pilæ in Romano Foro erant quædam tanquam Columnæ , ad quas rerum venalium tabernæ habebantur : ad has Pilas in apertissimo sitas ambitiosi poete carmina sua , ut vulgo legerentur apponere solebant . Lambinus similia notat ad illud Horatij lib. 1. sat. 4.

Nulla taberna meos habeat , neque pila libellos .

Ad Columnas, inquit, seu Pilas prostabant libri, ut in epistola de arte Poetica:

Mediocribus esse poetis.

Non dij, non homines, non concessere columnæ.

Nam Poetae sua scripta, quæ edere, & diuulgare volebant, Bibliopolis, & Librarijs, quorum tabernæ, & officinæ erant ad Columnas, dabant; à quibus emebat deinde vulgus.

De cauponis, & popinis ad easdem Pilas intelligendus Martialis lib. 7. epigr.

Nulla catenatis Pila est præcincta lagenis.

Sed etiam in corpore Iuris Ciuilis Pilarum istarum mentio fit: vt l. 30. §. vlt. ff. de acquirendo rerum dominio: Si Pilas in mare iactauerim, & super eas inædificauerim. Item l. 3. ff. ne quid in loco publico, &c. Iactas in mare Pilas eius esse, qui iecerit. Ad hæc loca Brissonius: Pilæ lapideæ dicuntur, quæ onus aliquod sustinent. Eædem alio loco Columnæ struëtiles vocantur, vt l. 8. §. 1. ff. si seruitus vindicetur: ad quæ verba Vlpiani Budæus eruditè notat: Columnæ struëtiles sunt, quæ aut lapide quadrato, aut laterculis extructæ sunt, quæ Pilæ etiam dicuntur. Est autem ea differentia inter Columnas, & Pilas, quod Columnæ uno scapho constant, idest, lapide oblongo perpetuo: Pilæ struëtura constant, aut lapidea, aut cœmentitia, aut lateritia. Nostrates Pilaria vocant: hæc Budæus.

Cum ergo manifestissimum sit fabricam illam siue massam Turretti, propriissimo nomine Pilam nuncupari, restat videndum, cur illa Pila Staffilaris appelletur, & qualis ea vox sit, & quid propriè significet, cum hoc tempore Romæ in vsu esse desierit.

Dico ergo vocem illam mere Germanicam esse, & superioribus sæculis à Pistoribus Germanis introductam, cum penes eam Nationem ferè solam omne panis conficiendi artisicium esset: quod ita clarum est, vt probatione non egeat. Pistoribus autem præcipuum, & continuum negotium est cum Molitoribus, quorum opera in farina conficienda quotidie vtuntur: itaque mirandum non est eandem vocem, & Pistoribus, & Molitoribus fuisse communem.

Illud autem ad misorem perspicuitatem, & faciliorem intelligentiam præmittendum: Linguae Germanicæ duas esse dialectos, aliam scilicet Inferioris, aliam Superioris Germaniæ: quarum differentia in eo præcipue consistit, quod inferiores Germani vocalibus, & consonantibus literis simplicibus, & lenioribus vtuntur; superiores autem diphthongis, & consonantibus asperioribus ijsque geminatis. Vnde cum inferiores dicunt simiam Ape, Sacerdotem Pape, arma VVapen, sperare Hapen: Superiores easdem voces durius ita proferunt, Affe, Pfapfe, ò Pfaffe, VVaffer, Hoffen. His ita præsuppositis dico, quod inferioribus Germanis Stappe, & Stapel, vel Stappel dicitur, pro gradu, & scala, hoc superioribus esse Staffe, & Staffel: vndè à Germanis vna cum reipsa etiam Staffæ nomen Itali, Galli, & Hispani acceperunt; quam Latinos posteriores proprio nomine Scalam appellasse eruditè ostendit Gerardus Vossius libro de Vitijs Sermonis, pag. 33. Pari etiam modo ius exonerandarum mercium in quibusdam Ciuitatibus, aut Emporijs ad mare, aut flumina nauigabilia positis, Itali Scalam mercimoniorum vocant, quod Germanis inferioribus Stapel, & superioribus Staffel dicitur, & inter Regalia habetur: de quo iure aut priuilegio ante paucos hosce annos scripsere duo insignes Iurisconsulti ex inferiori Germania, Ioannes Loccenius lib. 1. de Iure Maritimo cap. 4. & Franciscus Styppmannus, itidem libro de Iure Maritimo, & Nautico, partis v. cap. 2. & in Germania superiori ante annos complures Paulus Matthias VVehnerus libro Obseruationum Selectarum Iuris, ad vocem Staffel, &c. pag. 610. edit. Francofurtensis: quibus in locis non solum de ipso iure Stapulæ, seu Staffilæ accurate, & solide disputant; sed multa etiam præclara, & vulgo non satis cognita de vocis origine, significatione, & vsu apud Septentrionales obseruant, præsertim Loccenius. Illud certum est vocem illam Scalam, gradus, & exscendendi locum significare.


Cum ergo Pilis illis molas fluuiales retinentibus vbiique de proximo adiungi soleant scalæ struëtiles cœmentitij, aut lateritij operis, per quas hominibus pariter, & iumentis descensus ad molam præbetur, certum est, & indubitatum, Pilam illam propterea Staffilarem cognominatam, quod Staffilam, siue Scalam ciusmodi haberet coniunctam. Atque hoc adeo ab hodierno Turretti nomine non abhorret, vt Loccenius obseruet etiam nunc in Suecia Turrem Campanariam, vulgo Clockstapel, hoc est Staffilam Campanariam appellari: Suecorum enim linguam ex Saxonica magnam partem, deriuatam esse constat. Quibus adiungo ex eodem Loccenio, in legibus antiquis Ripuarijs Regis Tribunal Staplum Regis appellatum, à Germanico Stap, vel Staffel hoc est, Gradu, quod ad illud Tribunal, suggestu quodam erectum, gradibus ascenderetur. Quæ obseruatio verissima. Hęc de Pila Staffilari ad veritatis dilucidationem, & pro Basilię nostrę iure conseruando scriptus L. H. Canonicus.

ERROR POPVLARIS DE MILLARIO

Aureo, quem omnes ferè Antiquarii errant,
explosus.



Via Plinius alijque veteres scribunt, à Millario aureo, quod olim Augustus in capite fori Romani sub æde Saturni posuerat, omnes Italiæ vias publicas principium duxisse, & iunorum interualla vniuscuiusque viæ eidem inscripta fuisse, hinc Antiquarij affirmare non dubitant, lapides siue Millaria vniuscuiusque viæ ab eadem Columna in foro posita, non à Porta Vrbis olim numerata fuisse. Huic absurdō errori ipse loquendi modus refragatur, qui Milliariorum, siue Lapidum distantiam non à Meditullio fori, sed ab Urbe, hoc est à portis, aut mœnijs, quibus Vrbs terminatur, olim numeratos fuisse atque etiam nunc numerandos indicat. Hoc verum esse cum plurimis documentis confirmari possit, vnum tamen maximè perspicuum, & irrefragabile planissime euincit. Lapis primus ab Urbe in Via Appia ante complures annos extra Urbem inter antiquitatum ruinas detectus, à Senatu Populoque Romano ad Vrbis ornamentum in Capitolium translatus fuit: vbi ad gradus laterales cum publico testimonio eretus visitur. Dico igitur si Millarium lapidumque Milliariorum principium, & distantiarum interuallum cœpisset à Millario aureo, hoc est ab Ecclesia Sancti Adriani ad Arcum Sepulchri Seueri, sequeretur omnino lapidem illum non extra Urbem, & Portam Sancti Sebastiani olim positum fuisse, sed intra Urbem, & quidem citra Ecclesiā SS. Nerei, & Achillei. distat enim hēc Ecclesia à dicto Arcu Septimij amplius integro veteri Millario Romano, qualibus Lapes Millarij viæ Appiæ, etiam hodie plurimis in locis distincti conspiciuntur, hoc est sexcentis sexaginta septem paulò minus cannis. A dicta autem Ecclesia ad Portam Sancti Sebastiani porrò quingenti sunt, & amplius passus Romani veteres, quorum mille constituebant Millarium Romanum. Cum ergo indubitatum sit Portam Sancti Sebastiani, à dicto Millario aureo distare, ut minimum integro Millario, & dimidio: dicta autem Columna primi lapidis longius extra Urbem ad Viam Appiam reperta, & inde in Capitolium translata fuerit, prout inscriptio Senatus Populi Romani eidem incisa testatur, sequitur mensuras, & interualla Milliariorum non à Foro Romano, sed à Portis Vrbis olim numerari cœpisse, quicquid Antiquarij in contrarium temere affirment.



L A V S B O R E A É
DICTA IN AEDIBVS QVIRINALIBVS
ILLVSTRISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI
P R A E F E C T I V R B I
CORAM ALIQVOT
EMINENTISSIMIS CARDINALIBVS;
& frequentissimo, nobilissimoque litteratorum
auditorio.



ETVS hoc Pythagoræ dogma in Platonis Academiam migrauit: Animas adhuc corporis exortes, diuinæ mentis asseclas, concentu Musico suauissimo impleri; quem cœlestium orbium circuitus, eorumque moderatrices Musæ modulatione varia, ratâ tamen sonorum proportione edunt. Inde superiorum oblitis, & ad terram, ac mortale corpus vergentibus, consternationem primum vehementem, mox multiplices offundi perturbationes, quæ omnem deinde vitam in terris exagitant vexantque; donec prioris conditionis recordatione, & Musicæ illius cœlestis beneficio, ad supernam originem, pristinamque felicitatem reuertantur. Idem vobis, EE. DD. nunc euenire puto; quorum animus atque aures suauissimò acroamate, velut Sirenum cantu delibutæ, ad proletariam dissertationem auocantur. Me autem Marfyæ exemplum terret, qui tibias à Minerua proiectas attrectare atque inflare ausus, temeritatem istam impune non tulit: præsertim cum institutæ orationis argumentum à Musicorum modulis non dis dia pason, vt ipsi loquuntur, sed toto cœlo discrepet. Rem sine proloquij ambagibus dicam. Boream, siue Aquilonem, ventum stridore iuxta, & frigore importunum, æstui caloris leuamen, patrij cœli, & Septentrionis nostri munus ad vos affero: non qualis arctoo sub axe suo in regno laxis habenis debacchatur; sed Mercurij virga, hoc est, breui orationis ambitu circumscriptum, & velut Vlyssis vtre, aut Lapponicæ Sagæ strophiole conclusum. Dissoluam nodos, totumque sine tempestatis, & naufragij periculo emittam: vos fugacem auribus attentis excipite: mihi laudes, & commoda eius explicanti fauentes adeste.

Vetustas quæ ab origine proprius remota Platoni fide dignior videtur, Ventis omnibus diuinum quid inesse existimans, cultu, & religiosa veneratione eos prosecuta fuit: siue ortus motusque iuxta in obscuro delitescens, abiecta peruestigandi spe, istam opinionem concitarit: seù virium, & celeritatis admiratio, maximorumque beneficiorum fructus religionem ex gratitudine pepererit. Sane Poetarum antiquissimus Homerus Iridem ventis supplicantem finxit: & Hesiodus Deorum catalogo ventos etiam complexus est: Orpheus quoque, vt cæteris Numinibus, sic Ventis hymnum, & suffimentum decernit, certa religiosi cultus argumenta. Ad hæc Persæ, Phœnices, Græci, ipsi etiam Romani, vt sapientia, sic religione ad superstitionem usque elati, templis arisque eos consecrarent. Sed penes Boream cum aeris principatu, venerationis quoque prærogatiua stetit. Nam & Græcos Persico bello supplicationem illi decernere, & auxilium aduersus Barbaros ab eo poscere ipse Pythius Apollo iussit. Nec Delphis tantum atque Athenis, sed apud Arcades quoque, & Thurius templa arisque habuit: quin etiam vt singularis Boreæ in homines affectus testatior esset, Athenienses illum sibi generum, Thurijs ciuem legerunt. Nos quoque humano more patriam ipsius, & genus peruestigabimus. Homeri natales obscuros nulla res æque, ac nobile tot urbium certamen illustravit: at Boreæ ortum illustrem profecto, & conspiçuum obscurauit multiplex Poetarum, Historicorum, & Philosophorum concertatio. Illi Homerum principem secuti, cum nefas putarent ventum masculum, & bellicosum extra Martis regnum

gnum nasci, ab A^{mo}, & Ismaro Thraci^e montibus, quæ & Martis speculæ sunt, cum deduxerunt: ut Callimachus Martis equos ad Bore^e antrum in A^{mo} stabulari scripsit. Virgilius Thracia, Geticisque antris valere iussis, proprius ab Alpibus accersit Alpinum Boream, & Itali^e suæ vindicat. Herodotus Hyperboreos, & Arimaspos, Scythicarum gentium extimos, nascentis Bore^e consciens credidit. Cleanthes editissimum Asi^e montem Caucasum, cum Niphates antea vocaretur, Bore^e thorum appellatum scripsit, postquam Boreas Chlorin Arcturi filiam eo asportasset. Hec Historici, cum iurati verum promittant, non minus fabulosa quam Poetæ tradiderunt. Philosophi, quibus consentire piaculum est, hic quoque non minus quam vulgo horologia, discrepant. Plato in Phœdro Orithyie raptum commemorans tritam Poetis semitam sequitur: qui Erechthei filiam ad Sarpedoniam rupem Thraci^e deuectam, Bore^e pro uxore fuisse, liberosque procreasse fabulantur. Aristoteles philosophie oraculum, Aparciām (ita Græci ventum à Septentrione spirantem vocant) ut nomen, sic originem ab Arctico polo ducere censuit: inde cæteras terrarum oras præpeti volatu peruadere. De genere ac parentibus certior res est. Eos tamen minus curatè prodidit Homerus, cui Boreas αἰθρῆς, seu Aethrē filius. Sed Hesiodus eo libro quem dixi, patrem Astreum commemorat, matrem Auroram, Hyperionis filiam, Solis, ac Lunę sororem germanam. Excelsum profecto, & illustre genus, Persarum regibus immani olim mendacio affectatum. Sed Boream Phœbi ex forore nepotem quis dubitet? quem noctu ferme interquiescentem, mane cum Aurora, & Sole vehementiorem surgere, & interdiu acrius spirare Physici obseruarunt; adeo ut si noctu quandoque per errorem surgat, intra triduum expiret: adde quod tam officiosus in auunculum, ut anteambulonem, vel atrensem agat. Nebulas enim nubesque cœlum aranearum ritu subtexentes, tam expedito ministerio dispellit: ut vitales radij, & lucida diei tela fine obstaculo ad nos pertingant, & cœlo sudo, ac sereno fruamur. Id vero quam magni, & singularis beneficij loco habendum sit, ignorare non potest, quisquis erectam corporis sui formam considerans, nos cœlo contemplando natos cogitat. Atqui ista cœli contemplatio nisi purgato, ac defecato aere, ex Pythagoreorum præcepto haudquaquam proueniet: qui Marco Aurelio sapientissimo Imperatore, & Philosopho teste, non solum constantem, & perpetuum ordinem, sed limpidissimam quoque puritatem corporum cœlestium quotidie nos inspicere, & considerare iubebant, quam nihil isthic fictum, nihil reductum; sed cuncta candida, & aperta sine sifario mortalium oculis patent. At nemo facilius hoc sublime candens deterferit, quam Nubifuga, & sudificus Boreas, nemo celerius: quem vt Sanctus Hieronymus viarum, sic ego cœli scoparium dixerim. Cui Aquilonis nomen rapidissimus volatus dedit, quo præperem aquilam non modo cœquat, sed immensa celeritate præuerit. Nec solum alatum, sed anguipedem quoque antiquitas finxit, aliorum Titanum instar, quorum ima per orbes squammeus intortos sinuat vestigia serpens. Sed quid aquilas, aut angues commemoro? testudines tardigrade sunt formicino gradu reptantes, si cum Bore^e volatu comparentur: quem nongenta passuum millia singulis horis emitiri Aristotelis auctoritate euincit. Quærerit philosophorum magister, cur Etesię, qui æstiui aquilones sunt, non ante tertiam diei horam surgant: causamque affert; quod cum Sol suo exortu glaciem niuesque sub polo liquare incipiat, exhalationes iste in ventum densatæ tardius inde ad nos perueniant. Vos itineris rationes, si placet, ita mecum subducite. Athenæ, ubi Aristoteles peripatum habebat, absunt ab arctico polo gradibus quinquaginta duobus: de quibus, ne morosi, & illiberales videamus, duodecim extremæ frigoris Zone largimur. reliqui nobis sunt quadraginta; quorum triens tredecim paulo amplius graduum, nongenta, ut dixi, passuum millia, quod horarum Boreæ iter est, complectitur. atque hoc quidem cum somniculosus atque ignauissimus spirat. Sed iam dudu vos expectare video, quid rapidissimo isto, & præpete volatu nobis arctoo ab orbe Boreas vehat. Si Poetas audimus; sœvitiam & vires, iramque animosque minaces: hoc est, frigora, glaciem, niues, cæteraque omnia quibus pugnantem Boream, & natura, & Poetarum officina armavit. Si medicorum vulgus interroges: pectoris laterumque dolores aiunt, & malorum omnium compendium, melancholiæ. At si ipsam rerum naturam, insigne veritatis oraculum, sciscitemur, ea clara nobis certaque voce respondet: Boreæ munus esse vitam, qua fruimur, auram quam ducimus; & quo maxime pollemus corporis animique vigorem: hoc est, illam Dearum omnium pulcherrimam, & mortalibus exoptatissimam, sanitatem. Et quis bonorum largitorem neget; cuius munere mortalium sapientissimi non sine vita discrimine se carere censem: cuius vitali afflatu frui exoptant: quem omni arte ad se deriuant; aduentanti fores aditusque patefaciūt. Cuius possessionem omni studio sibi vindicant, & adeptam retinere contendunt; adeo etiam vt interclusum, aut negatum ex iure manu consertum repetant.

Non est quod annalium monumenta excutiamus: nostra ætate factum est, cum Boreas suo frigore fora, tribunalia, & venerabile Vrbis Areopagum calcavit: nec solum causarum patronos, & iudices, sed architectos, philosophos, medicosque omnes ad sudorem, usque ipso quinquennio exercuit. Neque vero de asini umbra, aut de lana caprina certatum fuisse dixerit, qui Boreæ beneficia e qua lance expendat. Duo sunt vitæ nostræ adminicula: aer, quo fruimur; cibus, quo vescimur. Acris munere, quoties spiritum ducimus; cibo ex interuallo reficimur. illo enim ut vitæ vehiculo singulis egemus momentis, nec prius acrem spirare, quam viuere desinimus. In utroque plurimum potest Boreas: nam acrem nobis, nos cibo parat. Et quidem in purgando temperandoque aere clara eius, & notissima est virtus. nam quæcumque malæ pestes austrum ceterosque eius orę ventos comitantur, lethum, lucisque, mors, labor, tabes, dolor, Boreæ exortum fugiunt, malumque pedem referunt, unde extulerant. Nec aliud Poetas intellexisse puto, cum Harpyas Neptuni terræque filias, Phinei dapes fœtore contaminantes à Boreæ filijs pulsas dicunt. Unde & ciuitates ædesque, & eas ædium partes saluberrimas esse constat, quæ Borea perflantur. Fames vero, quæ cibi appetentia est, & præcipuum recte sanitatis indicium, adeo Boreæ debetur, ut qui primi apud Græcos nomina rebus imposuerent, Boream à vorando dixerint. Sed hæc facile quidem concedent quibus non plane hebent præcordia: animum vero ipsum, & ingenij acumen prospero Boreæ flatu iuuari nescio an tam facile largituri sint illi, qui cis Alpes tantum homines, ultra fungos nasci putant: idque unius Boreæ culpa, quem torpido frigore mentis aciem præstinguere, hominesque stupidos, & obtusos reddere aiunt. Errant profecto, qui Alpes, aut AEmum ut prouincias, ita ingenia disternere existimant. par ubique natura est; educatione differimus. Non minus in extremo Ponto nascuntur Diogenes, in Thracia Democriti, & Protagore, in Gallijs Fauorini, apud ultimos Scythes Anacharses; quam Socrates, & Platones Athenis. Quæ noxio hypocaustorum calore, alijque intempestiuis fomentis ipsi in nos peccamus, cœlo frigido Boreæque imputamus. Athenienses ingenij acumine maximè perspicaces Boream, ut dixi, propitijs Numinis loco olim habuere; eique ad Ilium sacrum Musarum amnem aram posuere: non quod Barbarorum classem scopulis impegerat; sed quod Orithyie fatidice puellæ exemplo, ut Olympiodorus Phœdri Platonici interpres docet, perspicerant, Boream sudum siccumque, & rerum diuinarum capacem animum præstare. Atticis Athenis Hetruscas addo, florem, atque ocellum Italicarum Vrbium Florentiam; quæ & salubritatem cœli, & ingeniorum sublimium felicitatem Fœsulanò Boreæ se debere fatetur.

Cæterum ne hybernus Boreas orationem longius abripiat, vela contraham, atque ea dumtaxat commemorabo commoda, quibus estatem diffindit, & Syrij calores mitigat. Hic vero imprimis eius commendanda est humanitas, quod anni temporibus ut foro, aut scenæ seruiat; & deposita rigidi Aquilonis persona, velut hyemis mormolyceo, placidissimos lenissimosque prodromos, & Etesias agat. Itaque & hoc Boreæ beneficium est, quod inter ardores caniculæ, & morbosque austri languores spiritum subinde frigidiusculum ducimus: quod diurni calores noctis refrigeratione in vitalem auram reparantur: quod lenior orientis, carentisque Phœbi temperies meridianum æstum æstiori utrinque collimitio compescat. Boreæ refrigerium est, quod anhelo ore trahimus; quod flabellis vestibusque ventilidis captamus; quod connuentibus ianuis, & limis fenestris colligimus; quod occulto spiraculorum meatu adducimus; quod rorulenta lympharum aspergine vaporamus. Sed quibus ego verbis, qua oratione niuis æstiua solamen, præcipuum Boreæ munus, explicem? gaudet estas reposito hyemis thesauro, & sepulta nix mensas peregrinis delicijs rediuiua ditat. Cedimus antiquitati ingenio, cedimus doctrina; sed eruditio luxu vincimus. Norat illa cola vinaria, & niuem glaciemque poculis admiscebatur. sed quota hæc nostrarum deliciarum pars? mera rudimenta dixeris, si niuosa nostræ ætatis miracula, velut monstra ex salis niuisque connubio nata, speles. De oculorum manuumque fide dubitamus, cum adulta ætate aquæ recenti glacie in scyphos, pocula & paropsidas, ac cetera mensæ voluptatisque instrumenta gelatae inferuntur. Vberem hæc fingendi materiem fabularum auctoribus præbuissent. Non Heben illi, sed Chionen Boreæ filiam, Nymphaeum candidissimam, Iouis præfecissent poculis: Chionen Bacchi amores, Pomonæ delitium, corculumque finxissent. Nam ipsum illud flauum Deorum nectar, sine niuis amento, quis non poscam aut vappam dixerit? Ipse lætitie dator Bacchus, quam illætabilis atque insipidus languet, nisi frigidam suffundat Chione; & animo spirituque defectum frigoris sui vitali afflatu refocillet? Sed pedem refero; nam vinum, ut video, & æstiua glacies in lubricum me deduxerunt locum; ubi vix sine periculo vestigium fixerim. & me ventum reti diutius venari obortus calor, & modestia lex vetat.

AD BOREAM.

Sirius ardenti dum torret sidere terras,
Visceraque & fauces urit anhela suis,
Surge Aquilo, atque aestus, sed miti flamine, pelle,
Queque gelare queant pocula, sparge niues.
Caucasus iratum Boream experiatur, & AEmus;
Ocia nunc placido murmure nostra fone.

Frigoris & caloris temperamentum.

Aretous Boreas stridentibus horridus alis,
Dum ruit, & calo bella sonora mouet;
Et rapidos amnes glacie constringit inertis,
Et spargit canas per iuga celsa niues;

Tunc tepidus Titan, alienis mensibus aestas
Quæritur, & largo lucidus igne focus.

Contra cum terras ardenti Sirius aestu
Torret, & affligit corpora fessa calor,

Viscera cum languent, fauces sitis urit, & egrè
Vitales auras pectora anhela trahunt;

Frigida tunc captantur Etesia flabra Aquilonum;
Duratque in glaciem nix rediuiua merum.

Sic animum Sapiens fortune attemperat omni,
Et regit arbitrio tempus utrumque suo:

NOVA NUPTIA IN GENIALI THALAMO.



DOBRANDINAE PAMPHYLIAE ROSSANI PRINCIPIS.
cum aris reverentibus Pictoribus est; i' misis typis predictis, exemplarj ipsius se-
cili. Quod hunc est ad te redi, meus sequitur obsequientibus censuram atque
Messing et alii. de R. Rossani

⁵Aquiloni è centro figuram valde regit, ac separare subiectum omnes raptis antequam
descenderet ut spuma aqua propagaretur, et aperte prout ad reme accedunt
⁶Alio aquilla tabulam ferme precepit in qua dictum significatur.
⁷Alio Prenups velim illa, sua modice minus latentes gaudes, longis evitatis. Quae certitudis tenet
ut respondere, vel esse, spuma adhuc corpora de morte regis, adhuc latentes latentes.

⁸Hoc eum scilicet monit, seu regnanti morti decesserit, ruderis, armilla brevi, trahendat
palla tabularum ferme precepit in qua dictum significatur.
⁹Alio Prenups velim illa, sua modice minus latentes gaudes, longis evitatis. Quae certitudis tenet
ut respondere, vel esse, spuma adhuc corpora de morte regis, adhuc latentes latentes.

¹⁰Eadem nos impetrat in geniali terra faciat, dicentes: Romane, ergo veniam propter venationem alterius galli
meling obicitur. Dicente: vnde tuus? vnde legatus non predictum omnino. Scilicet de mare predictum, an
non mactum est? quod est?

¹¹Eadem nos impetrat in geniali terra faciat, dicentes: Romane, ergo veniam propter venationem alterius galli
meling obicitur. Dicente: vnde tuus? vnde legatus non predictum omnino. Scilicet de mare predictum,
qui natus est?

¹²Sperone eximam velim illa, Cognitio, spuma efficienda probet in latente thalamo, spuma
expetrare, hoc faciens. Dicente: Nupti, sapere nunc et recidere, hoc est prope huncus duci
ad mactum, spuma est?

¹³Fulvassus, natus, dicit, dico quoniam tenuis, alterius impetrat in venia, ut respon-
dere, spuma expetrare, spuma expetrare.

ILL. ATQ. EX T.DNE ET HEROINA E OLYMPIAE. AL.
Inaga antiquis pictoris, quae in via Quirinalibus domis, exemplarj, et mirabil-
cula ALDOBRANDINVM celum, et SIDERA quicquid queat. Iudicium suum agna
immortalium nomina nec decusa, perspicue voluntate.